

**<Opiniones de uerbo substantiuo e cod. Chartres, BM  
209(248)>**

86va

Opiniones diuersorum de 'sum' uerbo substantiuo.

5

Wido Lingonensis dicebat hoc uerbum significare actionem in solo deo, ut cum dicimus 'deus est', passionem uero in omnibus rebus creatis, sicut cum dicimus 'homo est', 'asinus est' et sic in ceteris. Et hanc sententiam uidetur traxisse a Macrobio, qui dicit 'stare' significare actionem et passionem. Cum dicimus 'homo stat', ibi 'stat' significat actionem, quia per se stat homo. Cum uero dicimus 'hasta stat', ibi significat passionem, quia non nisi infixata ab aliquo stare potest.

10

15

Lamfrancus archiepiscopus dixit hoc uerbum quod est 'sum' actionem tantum significare in substantiis, ut cum dicimus 'homo est', 'asinus est' et similia, passionem uero in omnibus rebus accidentalibus, quae scilicet non per se sed per substantias existunt, sicut cum dicimus 'albedo est' etc. Et idem quod magister Wido inter deum et creaturas attendit, hoc Lamfrancus inter substantias et accidentia.

20

Magister uero Ruobertus dixit hoc uerbum non habere substantias aliquas, sed potius substantiales differentias cuiuslibet rei significare de qua praedicatur ipsum uerbum et illas differentias esse actionem illius uerbi, ut cum dicimus

---

**9** Macrobio] Macr. somn. 2, 15, 15 : nam et stare licet passiuum uerbum non esse uideatur, cum de eo tamen dicitur quod stat alio sistente, ut stant terra defixae hastae, significat passionem, sic et moueri licet passiuum sonet, quando tamen nihil inest faciens, patiens inesse non poterit

---

**4** Opiniones...substantiuo] cf. R. Hunt 1941-43 pp. 31-32 ; I. Rosier-Catach, « Abélard et les grammairiens : sur la définition du verbe et la notion d'inhérence », in : P. Lardet (éd.), *La tradition vive, Mélanges d'histoire des textes en l'honneur de Louis Holtz*, Turnhout, Brepols, 2003, p. 143-159 ; ead., « Abélard et les grammairiens : sur le verbe substantif et la prédication », *Vivarium* 41/2, 2003, p. 175-248 ; ead., « Sur le verbe substantif, la prédication et la consignification – *Peri Hermeneias* 16b20-25 dans les traductions et commentaires en latin », in Suzanne Husson (éd.), *Interpréter le De interpretatione*, Paris, Vrin, p. 97-131

‘homo est’, hic ‘est’ significat rationalitatem et mortalitatem, et in aliis similiter.

Magister Garmundus dixit actionem illius uerbi esse substantias et accidentia. Cum dicimus ‘homo est animal’, ibi ‘animal’ est actio uerbi illius quod copulat. Cum uero dicimus ‘hic color est albedo’, hic ‘albedo’ est actus illius uerbi, et sic in similibus.

Magister uero Durandus de Anglia dicebat hoc uerbum et actionem propriam et passionem propriam significare, his etiam uerbis. ‘Est’, inquit, hoc uerbum, non dicitur quod significet actionem uel passionem, sed significatiuum est actionis et passionis, id est potest utrumque significare. In quodam enim loco significat proprie actionem, ut hic ‘Socrates est legens’. In quodam uero loco proprie passionem significat, ut hic ‘liber est lectus’, et ita bene et proprie est uerbum, quia significatiuum est proprie actionis uel passionis. Et hic quidem melius sensisse uidetur.

5

10

15